



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

*Εργαλεῖον τοῦ ἀδρίου : Suffragantibus
sacri ordinis viris & iis qui erant in magistratu
& dignitate constituti. Omnis verò populus
acclamacionibus letitiae signa promebat. Clerus
& honorati eligunt; plebs verò favet & ap-
plaudit. Vnde apud Liberatum cap. x i v. in
locum Dioscori Proterius electus est à no-
bilibus civitatis & ab Episcopis, plebis men-
tione omissa. Zeno quoque constituit apud
Evagrium lib. i i i. cap. x i i. ut Alexandria
ficeret Episcopus ὁ οὐαρπός καὶ τὸ νοτὸν ψη-
φιζούστο, quem clerūs & commune elegissent, id
est, corpus civitatis, neglecta scilicet plebe.*

C A P V T VII.

Synopsis.

I. Constitutio Iustiniani de tribus eligendis à clero
& plebe, decretoque ad Metropolitanum mittendo,
neque in Oriente neque in Occidente observata fuit.

II. Secunda synodus Nicena Episcopis permisit
universam electionum potestatem.

III. Decretum prīcis illis temporibus erat penes
Episcopos solos, exclusi ab eo jure clero & populo. Sy-
nodus CP. adversus Photium laicos removit ab elec-
tione.

IV. Refertur interpretatio quam Blondellus addi-
bet huic canonii Constantinopolitano.

V. Refellitur illa Blondelli interpretatio multipli-
cibus argumentis.

I. **O**VO d constitutum fuerat à Iusti-
niano de trium electione facienda
à clero & plebe mittendōque decreto ad
Metropolitanum locum non habuit nec in
Oriente nec in Occidente; quamvis occa-
sionem præbuerit postea Imperatoribus
Græcis ad se trahendi jus Metropolitanu tri-
butum, ut postea dicetur.

II. Tantum verò ab executione illius le-
gis recessum est, ut non solum usu sed ca-
none quoque in secunda synodo Nicena la-
to anno D C C L X X X V I I. Episcopis per-
missa sit universa electionum potestas, circa
ad eam firmādam canone quarto pri-
ma synodi Nicenæ: Δεῖ δοῦτο μέλλοντα πε-
ριελέγειν εἰς Ἐπισκοπὴν ὅποι Ἐπισκόπων. Φύλ-
λος δέ τοι τὸν ἄγιον πατέραν τὸν Νικο-
τήμα. Oportet enim eum qui provehendus est
ad episcopatum, ab Episcopis eligi, ut definitum
est in canone Nicenorum patrum. Vnde cùm
objiceretur Ignatio Patriarchæ quod non
adeptus esset fidem Constantinopolitanam
per electionem, responsum fuit eum decreto
omnium simul Episcoporum, & Ecclesia conser-
vans, canonice & legitimè promotum fuisse, ut do-
cet Nicetas Paphlago: Ψήφῳ πάντων ὅμοι τὸ
δέλτερόν εἰς τὸν κακοῖς συναρτεῖσθαι κατανικᾶς τη-
στήνους κεχειρίσαι.

III. Eo quippe tempore decretum, Ψη-
φος, erat penes Episcopos solos, exclusi
& Clericis & populis à decreti ferendi po-
testate; cuius communionem antea cum
Episcopis habuerant, licet non æquo jure.
Quare nulli mirum videri debet si canone
xxviii. Concilij CP. habiti anno D C C L X X .
adversus Photium, in editione Latina Ana-
stasi Bibliothecri ista legantur: Promoti-
ones atque consecrationes Episcoporum, concordans
prioribus Conciliis, electione ac decreto Episco-
porum collegij fieri sancta hec & universalis sy-
nodus definit & statuit. depulsis diserte eo-
dem canone laicis à negotio electionis, sub
peccna anathematis.

IV. Hunc locum sic interpretatur vir
eruditus Blondellus: Prima canonis parte ex
priorum Conciliorum prescripto, episcopalis col-
legij electione ac decreto promotiones fieri debere
decernitur. Cum enim à principio uniuscujusque
Ecclesie clerūs & populus communī sibi consilio de
Prefule providere soliti essent, novo posita in
Episcoporum gratiam condito jure Nicena syno-
dus can. i v. Antiochena can. xix. Laodicena
can. xii. Episcoporum provincialium synodam
ante omnia cogi, vel ejus ductu viduata. Ecclesia
clerūs & plebem in suffragia ire, vel ad cam-
ferre, nihil sine ea aggredi statuerunt. Collegio
igitur Episcoporum promotionem tribuit canon;
non quasi penes Episcopos solos electionis jus eße
debeat, ---- sed quia primas inter omnes tenuerint,
totiusque quantum quantum est conventus duces eſſe
debent Episcopi. Hoc à Niceni Concili temporibus
extra controversiam semper fuit.

V. Quibus verbis veritas definitionis
nostræ, quam abundè probavimus, aliquo
pačto obscuratur. Recte quidem vir doctus
observat synodum Episcoporum coactam,
ut eorum ductu & auspiciis electio agere
tur à clero & à populo. Sed in tribus pec-
cat. Primum, quod synodi illius necessita-
tem inducāt putet à synodo Nicena,
cum demonstraverimus ex Cypriano jus il-
lud fuisse receptum per omnes fere provin-
cias, & Apostolorum exemplo niti, quo-
rum præcipua partes fuerunt in electione
Matthiae. Secundum est, quod initio Epis-
copos ab electionis gerenda potestate ar-
cere videtur, eamque in solidum clero &
populo tribuere; cum potissimum jus electionis
præcipuum penes Episcopos resederit, non
omissis tamen cleri & populi votis, quod
tandem fatetur; docētque primas partes
inter electores tenuisse. Incidit in hanc du-
bitationem, quod usum Occidentis, quo
jus electionis translatum est in clero &
plebem per decreta Pontificum Romano-
rum, ut statim docebimus, cum orienta-
lium more confuderit, qui decretum ele-

ctionis Episcopis, clero & plebi consensum olim relinquebant. Tertium erratum est, quod existimet collegium Episcoporum in hoc canone non excludere saltem cœtum Ecclesiæ. Certum quippe est per septimæ synodi canonem tertium, ex praescripto, ut putabat, prioris Nicænæ synodi, solidas electiones ad Episcopos solos revocatas, licet consilia cleri non fuerint insuperhabita, saltem in Ecclesiis insignioribus. Quapropter octava synodus idem canone suo fancivit, quod deinde ab Episcopis in Oriente paſſim ex recepto jure usurpatum fuit. Id ostenditur eximie ex contentione quæ inter Polyeccliam Constantinopolitanum & reliquos Præsules orta est ob electiones Episcoporum, quas sibi solis isti vindicabant, Polyeccliam vero contendebat Episcopos tene-ri secum de illis communicare. Tamen ab eis éaut' eis ēlaborator & dñus & Φιλίππος ab ēγ-νετος. & dñs σπένδατο τον θεόν θεόν της δέκα-πεντα και τη μελότον Φιλίππος, inquit Zona-ras in Nicephoro Phoca.

C A P V T V I I I .

Synopsis.

I. In Occidente Episcopi eligebantur cleri & populi suffragis & iudicio Episcoporum. Probatur ex Cypriano.

II. Probatur etiam ex canone quinto Sardicensi, qui explicatur. Notatus interpres Græci.

III. Tum ex Concilio Carthaginensi tertio, quod explicatur.

IV. Veterem illum usum paucis verbis complexus est Concilium Carthaginense quartum.

V. Anysius Thebaalicensis Episcopus, à Maccenico populi obsecratus, ab Episcopo electus est.

VI. Pontificum Romanorum decretis electio persona collata est in arbitrium cleri & populi, etiam absque synodi episcopalis presentia: qui decretum de electione ad Metropolitanum mittebant. Ad istum vero pertinebat confirmatio vel rescriptio electionis.

VII. Hujus nova forma origo tribuenda est Siricio Papa & sequentibus Pontificibus. Eam Ambrosius Mediolanensis Episcopus etate Sirici amplexus esse videtur.

VIII. Siricus docet Diacono presbyterium vel episcopatum dari si cum cleri & plebis evocaverit elec-
tio. Sed ex electione adjungendum iudicium Metro-
politani.

IX. Eundem ordinem observari jubent Innocentius, Zozimus, Bonifacius, & Celestinus.

X. Referuntur verba Leonis primi quibus id ipsam statutum & amplificatum est. Explicantur ejus verba.

XI. Precipue partes tribuuntur Clericis in agenda electione. Ratio hujus instituti. Illustria Leonis in hanc rem verba.

XII. Perduravit synodorum usus, quoad electiones Metropolitanorum. Probatur ex codem Leone.

XIII. A Carthaginensi Concilio profectum ut vacanti Ecclesia Episcopum interventorem seu intercessio-

rem Metropolitanus preficiat. Is apud Gregorium magnum vocatur Visitator. Munus ejus describitur. Decreto electionis fieri non posse absque præsentia Visitatoris admonet Papa Symmachus.

I. **S**ED relictis Græcis, qui tandem ad Imperatoris arbitrium electiones omnes retulerunt, nunc redeundum est ad perspiciemad quæ in Ecclesia occidentali inducta est in electionibus immutationem.

Observabat ista vetus illud institutum, ut ab Episcopis, à clero, & à plebe in unum congregatis eligeretur qui præficiendus erat Ecclesiæ vacanti; cum illo tamen discrimine quod superius adnotavi, ut judicium esset Episcoporum, cleri vero & populi suffragio. Illis testimoniis addi potest Cypriani locus de Cornelij Papa electione: Factus est Episcopus de Dei & de Christi ejus iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis que tunc adfuit suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio. Conventum sacerdotum sive Episcoporum vocat collegium; à quo juxta testimonium Clericorum & plebis suffragium decreta fuerat Cornelij ordinatio, qui hoc pacto de Dei & Christi iudicio factus fuerat Episcopus.

II. Dubitari non potest quin eandem formam sequentur reliquæ Occidentis provinciæ. Quod evincitur manifestè ex specie proposita & decisa in canone quinto Sardicensi Concilij anno trecentesimo quadragesimo septimo, ubi agitur de provincia plurimis quondam Episcopis instru-cta, in qua unus remanserit Episcopus, aliis putâ faro functis, ille vero solus negligat populis pertinentibus ordinare Episcopum, adjunctus scilicet sibi collegis ex vicina provin-cia, quos potest convocare. Etenim ut nullus in alienam provinciam deberet irruere, nisi vocatus ab Episcopis, ita, si rogetur, potest accedere ad agendas functiones ecclæsticas. Populi autem convenienti vici-na provinciæ Episcopos, quod alioqui ad eos non pertineret nisi ob Episcopi negligentiā. Episcopi vicini debent literis suis provincialem Episcopum convenire, eique ostendere justam esse populi petitionem, & ut ipsi accedant ut cum eo ordinet Episcopum. Quod si nihil rescriperit, satisfacien-dum esse populis constituit canon, ut veniant ex vicina provincia Episcopi, & ordinent Episco-pum. En synodum Episcoporum, quæ ad Ec-clesiam vacantem accedit ut ordinet Episcopum, id est, ut tractatu habito cum clero atque populo, designet præficiendum Episcopum, eique manus imponat. Græca inter-preratio male sententiam hujus canonis ex-pressit, & speciem retulit ad Episcopum qui